



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. Quibus casibus usitatoribus incurritur Suspendio ipso jure?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

alii vulgares Confessarii absolvere, nisi speciale privilegium, vel delegatam potestatem acceperint à Papa, vel ab Episcopo, si non sint specialiter reservatæ Papæ.

*Resp II.* Si Suspendio absolutè & sine determinatione temporis inflictâ sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. g. triennium, vel sub conditione; transactò tempore, vel conditione impletâ, suspensio cessat per se ipsam sine alia absolutione. Si vero imposita sit in perpetuum, ob culpam præteritam, tanquam mera pœna, tollitur solum per dispensationem seu relaxationem Prælati, vel ejus delegati: quia non est Censura.

*Q. 4.* Quibus casibus usitatoribus incurritur Suspendio ipso jure?

*Resp.* Sequentibus. 1. Qui Ordines sacros recipiunt vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis vel à proprio in aliena Diœcesi, vel confictò titulo, vel per saltum, vel in Censura, vel extra tempora à jure statuta, vel sine legitima ætate, aut facultate, vel post Matrimonium contractum licet non consummatum: item qui furtivè ordinantur, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium in sui locum substituunt examini; hi omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, etsi Ordinem aliquem exerceant, fiunt Irregulares.

2. Qui eodem die duos sacros Ordines recipit.

3. Or-



3. Ordinans & Ordinatus Simoniacè est suspensus ab Ordinibus.

4. Ex Trid. sess. 24. c. 1. Parochus vel alius Sacerdos jungens sponfos alterius Parochiæ, sine illorum Parochi licentia.

5. Occupantes bona, vel census Ecclesiæ, Beneficij, vel alterius pii loci.

6. Simoniaci, Sodomiam exercentes, provocantes ad duellum vel acceptantes, &c.

7. Apostata à Religioso Ordine, præsertim si in Apostasia recipiat Ordines.

*Not.* Episcopi ex privilegio non incurrunt suspensionem, nec interdictum lata à jure, nisi eorum fiat expressa mentio, ita statuit Innoc. IV. in Conc. Gener. Lugdun. & refertur, c. 4. de sent. excom. in 6.

*Q. 5. Quomodo Depositio & Degradatio differunt a suspensione?*

*Resp.* Depositio est pœna, per quam Clericus privatur omni Officio & Beneficio Ecclesiastico in perpetuum, sine spe recuperationis, retento solo privilegio Canonis & fori; ita ut neque ab ullo percuti, nec trahi possit ad Tribunal. sæculare. Degradatio verò est pœna, per quam quis solemniter privatur in perpetuum non solum omni Officio & Beneficio Ecclesiastico, sed etiam privilegio Clericali.

Hæ pœnæ, differunt à Suspensione. 1. Quia non sunt Censuræ, cum non sint pœnæ medicinales, sed merè vindicativæ, utpote inflictæ in perpetuum. 2. Qui privant ipsâ potestate  
*seu*